

adhæserunt ossa pelli ejus. Ut autem ad extremum, **A** tus est ad ignoscendum. Honor amittitur? recuperari potest. Amittitur dignitas? recuperari potest. Amittuntur opes? recuperari possunt. Innumera sunt que amissa possunt recuperari. Tempus operandi, tempus pœnitendi, tempus Deo placendi, si semel amittitur, nunquam in sempiternum ultra recuperatur. Quod adhuc nobis liceat ad Deum converti per pœnitentiam, fratres dilectissimi, scimus; sed utram usque ad vesperam hæc nos licentia maneat, ignoramus. Scientes igitur, dilectissimi, quoniam patientia Dei ad pœnitentiam nos adducit, non secundum duritiam nostram et cor impœnitens thesaurizemus nobis iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique juxta opera sua. Vigilate igitur, fratres dilectissimi, vigilate; quoniam et diem nescitis, et horam ignoratis. **B** eati servi illi, ait Veritas, quos cum venerit dominus, invenerit vigilantes! Amen dico vobis quoniam super omnia bona sua constituet eos. Quorum bonorum nos participes faciat Christus Jesus Dominus noster, cui cum Patre et vivifico Spiritu potestas, dominatio et imperium sine fine permanet in sæcula sæculorum. Amen.

## DE SS. PAULI ET STEPHANI ABBATUM REGULA

### VETERUM TESTIMONIA.

S. Benedictus Anianæ abbas in Concordia regularum sæpissime affert testimonia ex Regula Pauli et Stephani, sive, ut pag. 388 et 619: *Ex Regula sanctorum Pauli et Stephani, quam etiam solius Stephani et sancti Stephani nomine aliquando citat.*

Smaragdus abbas Expositione Regulæ S. Benedicti, cap. 23: *De hoc capitulo Paulus et Stephanus abbates ita scripserunt: Si quis alterum, etc., ut cap. 36.*

### OBSERVATIO CRITICA IN REGULAM SEQUEM.

**E**tiam si ignoremus patriam et statum horum duorum SS. virorum, neque ad notitiam monachorum pro quibus hæc regula composita est pervenire valeamus, tamen videntur vixisse in aliqua regione ubi frumenta ruri et in campis excutiebantur, quemadmodum apud Italos et Hispanos moris est. Existimat sæpe laudatus Calmetus hos sanctos hanc suam regulam scripsisse circa tempora S. Benedicti. Hoc unum certum est, quod **C** exertis verbis S. Augustinus laudetur ibidem, cap. 14, atque Scriptura sancta citari solet juxta Vulgatam antiquam, non secundum S. Hieronymi versionem. Ad hoc difficile erit præscribere his sanctis determinatam ætatem; quamvis illi hujus Regulæ veri sint auctores sub quorum nomine et illam citat S. Benedictus abbas Anianæ in sua Concordia regularum:

# SS. PAULI ET STEPHANI ABBATUM REGULA AD MONACHOS.

## CAPITULA.

1. Primum de timore Dei et charitate mutua puri **D** cordis et unanimitate habenda.
2. Quales circa juvenes esse debent seni res.
3. Qualiter circa seniores se juvenes debeant exhibere.
4. Ut ab opere Dei nullus nisi permissus discedat.
5. Ut initium versus in choro incipiatur ab uno.
6. Ut jugiter pronuntietur per choros.
7. De modo psallendi et seniorum arbitrio.
8. Ut cantantes non dormitent.
9. Ut cantantium et orantium nullus vel temeriter fabulis occupetur.